S. ANSELMI
CANTVARIENSIS ARCHIEPISCOPI
DE FELICITATE SANCTORVM DISSERTATIO.

Exſcriptore EADINERO Anglo Canonico Regulari.

Editore IOANNE BAPT. DE MACHAVLT, *Pariſino, Societatis* IESV.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PARISIIS,
Apud SEBASTIANVM CRAMOISY,
Typographum Regium ordinarium,
viâ Iacobæâ, ſub Ciconiis.

M. DC. XXXIX.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Digitized by Google

ADMODVM REVERENDO

Patri noſtro in Chriſto P.

MVTIO

VITELLESCO

PRÆPOSITO GENERALI

SOCIETATIS IESV.

Salutem.

CVM omnis de felicitate ſermo gratus eſt, Reuerende Pater, tum eius Viri, cuius viuentis adhuc in terris animus ac municipatus in cœlo eſt, multò certè præſtantior. Aſſuefacimus quidem nos Beatitudini, ex Auguſtini ſenſu,

cùm de illa nobiſcum ipſi loquimur, aut aliquem è multis differentem audimus; ſed ſi eius de admirabilitate, ab oratore ſancto inſtruimur, non tam ſperare abſentem, quàm præſentem apprehendere nobis ac vſurpare videmur. Quare verborum licèt tenuitate leuidenſe, tamen dignitate argumenti, & commendatione authoris, eximium hoc Opus videri debet, quod hactenus in obſcuro ſepoſitum, magno, vti confido, piorum bono, in publicam lucem, auſpiciis Paternitatis tuæ, prodire auet. Optandum quidem erat, vt qualis ea Diſſertatio, ex Anſelmi ore facundiſſimo primùm erupit, appareret adhuc, eiuſdem beneficio, ac labore manus, ad nos vſque fideliter tra-

ducta. Tamen vbi meliora non habeas, quæ bona, quæque vtilia ſunt, optimorum defectu, nauſeam iuuenire non debent. Hoc præſertim debemus ſinceritati ſcriptoris, quod quanquam multa non reddit, quæ illa diuini vis ingenij, vt omnes intelligunt, inter orandum congeßit, tamen etiam è iactura, & ſic tanquam ex magnis quibuſdam ampliſsimæ diſputationis conatibus dicam, an ruinis, ſuſpicienda facilè ac diuinanda proponat. Atque ex Iamblicho, vetus ille Sapiens, etiam ventorum reliquias adorare iubebat, hoc eſt extremos diuinitatis, & vt interpretor, felicitatis ad nos vſque ſeſe profundentis afflatus. Precibus Paternitatis tuæ faciat Dominus IESVS,

vt quam eius familiam tam ſanctè felicitérque ducis, porrò tandem vſque, ad quam aſpiramus omnes, æternitatem perducas.

Admodum Reuerende in Chriſto Pater

PATERNITATIS TVÆ,

Minimus filiorum ſimul & ſeruorum in Chriſto,

IOANNES BAPTISTA DE MACHAVLT.

Pariſ. è Colleg. Claromont.
12. *Maij* 1639.

LECTORI BENEVOLO.

DE Beatitudine τεύχιον iſtud, opus eſt Anſelmi Cantuarienſis Archiepiſcopi, vt docet Amanuenſis ipſe, qui ex eius ore dicentis exſcripſit. Exſulabat Præſul ſanctiſſimus in Gallia, apud Cluniacum, ante an/poſt Italicum iter, furente Guillielmo II. Anglorum Rege, & Eccleſiæ iura, quæ Anſelmus gnauiter propugnabat, concidente. Hoſpitij moram, piis apud amplam familiam colloquiis, tum verò maximè contubernio Hugonis Abbatis, & illuſtri virtutum omnium exemplo ſoluebat. Inter alios, habuit celebrem de Felicitate ſermonem, quem Eadinerus, rogatu deinde preſſus amicorum, quantum è longinquo reminiſci potuit, in ſcripta contulit.

Ac quanquam, vt facilè legenti apparebit, Exſcriptor, partitionem modò ſe-

ctatus, præcipua tantùm capita abs obliuione vindicauit, multis iiſque neceſſariis rebus omiſſis, quibus Præſul ſapientiſſimus, ſingulas diſputationis partes ornauerat, ac qua erat ingenij & pietatis amplitudine locupletauerat; Tamen eius fides, ac quædam quaſi ſinceritas, in recenſendis iis pauculis, quæ abs memoria ſua depromere valuit, hoc obtinet, vt non laborioſiſſimè quiſque, quæcumque manum eius ac recordationem fugerunt, arceſſere ex ſeſe, ac ſufficere ſibi poſſit. Quaſi dicerem tantò gratiorem propè iacturam ipſam ac iucundiorem Tibi fore, quantò non omnia ſemper prompta, ac parata offendere, ſed ſubiicere ex ſuo nonnulla, qualiacumque quis maiorem ad ſe mouendum vim habere intelligit, atque de propria ſupellectile addere monentibus plerumque magis delectat.

Delineatio ergo erit potiùs, ac informatio exquiſitiſſimi de felicitate ſermonis, ex veteri memoria deprompta; Cuiuſmodi præcellentes pictores eniti videmus, vbi ad Apellis antiqui, aut recentioris Angeli tabulam offendunt; ſum-

mas tantùm lineas exſequuntur, vno alteróve colore, & quidem vtroque ſemper ex omnibus viliſſimo : Quas tamen ἰχνογραφίας qui artem norunt, mirum quantum in delitiis habent. Sanè, Gullonius è ſacro Fulientinorum Cœtu, vir eximiè pius ac doctus, nactus eius opellæ exemplar, tanti æſtimauit, vt in ea, Gallicanam facundiam, qua præcipuè claruit, benè collocatam duxerit. Eandem modò, qualem habuimus ex celebri Abbatia S. Petri Pratellenſis apud Lexouios, beneficio Nobilis ac Religioſi viri Domini de Breuedent, vt ei grates habeantur, quantæ eius induſtriæ & humanitati debentur, publici iuris facimus.

Denique monendus es, Lector, quæ hîc habes, extare ferè edita διεσπαρμένως aliquot capitulis in eo qui circunfertur Anſelmi libro Similitudinum. Atqui tantò impenſiùs edenda ſingillatim hæc Diſſertatio viſa, quantò magis ex fide Manuſcripti Codicis antiquiſſimi, atque omninò Auctorum συγχρόνου, intelligeres, Similitudines ipſas, ex Anſelmi concionibus colloquiiſque collectas, non aliter eius eſſe, quàm Socratis ſint, quæ-

cumque Plato in Dialogis ex eius perſona cõſtruxit. Abſit enim vt Exſcriptor apud Gullielmum, quiſquis tandem ille ſit, in beneficio poneret ea mandare literis, quæ rerum omnium Anſelmi gnarus videret iam abs eo ſcripta, & emiſſa in lucem, meliùs è fonte peti poſſe. Quòd ſi ex purpura vna, de tota ſupellectile cõiicere licet, Eadineri vel Edineri, veriùs eſſe, aut ſaltem ſodalis eius alicuius ſenties, qui hanc ipſam Diſſertationem abs Anſelmo, vel ab Edinero acceptã, ſectam deinde, & frigidè admodum in nõnullis auctam, ſicut & cætera, quæ Præſul ſanctiſſimus familiariùs inter ſermocinandum adhibebat, plura in capitula contulit. Non debuit autem Exſcriptor laude ſua fraudari, qui ſe oſtendit ſatis ex epiſtola, quam præfigit, noua ad eam diem & inuiſa ſcribere: Et debuit ſimul hac occaſione indicari, quid ſentiendum de libro Similitudinum foret; ne delicatioris ingenij aliquis, ad nonnulla quæ illic habentur ſpiſſiora aliquantò & humiliora, præ exquiſitis Anſelmi lucubrationibus, offenderet. Sed & de quibuſdam aliis quæ magnum eius nomen

æquè præportant, cenſuram expectamus, eruditi imprimis Ariſtarchi, qui nouerit ὑποβολιμαίους fœtus inſignium Auctorum, abs genuinis ac propriis diſtinguere. Sed de his aliàs. Interim vale, & felicitate fruere.

Digitized by Google

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS SOCIETATIS IESV in Prouincia Franciæ.

IACOBVS DINET *Præpoſitus Prouincialis Societatis* IESV *in Prouincia Franciæ, poteſtate ad id mihi factâ ab admodum R. P. noſtro* MVTIO VITELLESCO *Præpoſito Generali eiuſdem Societatis, facultatem concedo Sebaſtiano Cramoiſy Typographo Regio ordinario, iuxta Priuilegia eidem Societati à Chriſtianiſſimis Regibus noſtris conceſſa, mandandi typis* Diſſertationem de felicitate Sanctorum S. Anſelmi Cantuarienſis Archiepiſcopi, ſtudio IOANNIS BAPTISTÆ DE MACHAVLT Societatis IESV. *Cadomi die 5. Maij 1639.*

IACOBVS DINET.

S.

S. ANSELMI
CANTVARIENSIS ARCHIEPISCOPI
DE FELICITATE SANCTORVM DISSERTATIO.

PROLOGVS EADINERI ad Guillelmum Monachum.

REVERENDO *Domino & fratri & amico ſuo Guillielmo Monacho, manſuetudine, modeſtia, & honeſtate vitæ multùm amando, frater Eadinerus mo-*

nachorum Eccleſiæ Chriſti Cantuarienſis infimus, Quod Deus promiſit diligentibus ſe. Recordatur vt æſtimo ſanctitas tuæ dilectionis, honorande frater, quia cùm venerabilis Pater Anſelmus Cantuarienſis Archiepiſcopus, nuper in cœnobio Cluniacenſi aliquantis diebus moraretur, & loquens, à religioſo ipſius loci conuentu, pro ſua reuerentia deuotiſſimè audiretur; tua prece mecum egiſti, quatenus verbum quod de æterna beatitudine in capitulo, coram poſitis fratribus fecit, ſtyli officio, tuo conſpectui præſentarem. Ego igitur, vt pote qui libenti animo volebam, pro meo poſſe, tuæ voluntati morem gerere, opus illicò aggreſſus ſum, æſtimans illud leuioris ad explicandum negotij fore, quàm poſteà ſenſerim. Nouerit ergo cariſſima mihi dilectio tua, quia tui ſolius cauſa, tenuit me, ne deſiſterem; Licèt fortaſſis melius fuiſſet penitus deſtitiſſe; Materia ſiquidem pulchra

& appetibilis, cùm narratur ſermone inculto, & contemptibili, ſolet nonnunquam magis offendere animum audientis, quàm demulcere. Quapropter vereor ne hoc ipſum in meo facto contingat, ſcilicet ne materia decens indecenti ſtylo digeſta, id apud hominum mentes efficiat, vt quæ prius per ſe ſine ſcripto placebat, ex ſcripti deinceps fœditate vileſcat. Sed certè quod ſcripſi tua ſincera dilectione prouocatus, tibi ſcripſi; hoc ſolum intendens, vt ea ſimpliciter dicerem, quæ me, vel in eodem capitulo per id temporis, vel alibi ab ore ipſius Patris, de eadem re accepiſſe recordari valebam.

DE FELICITATE SANCTORVM DISSERTATIO.

MVLTI homines quibus nonnunquam boni mores, & iuſta opera proponuntur, & vt ſe in eis, ſæculi vanitate poſtpoſitâ exerceant, admonentur, inquirere ſolent, quam ob rem, quo præmio, quâ retributione. Reſpondetur itaque illis,
or. 2. quod ſcriptum eſt, Quia nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quod præparauit Deus iis qui diligunt illum. Quod cùm illi non clarè quid ſit aduertere poſſunt; repetitur hoc ipſum aliis verbis, & dicitur eis, præmium quod iis qui in hac vita Deo ſeruiunt, in

Digitized by Google

futura vita recompenſatur, vita æterna, beatitudo æterna, æterna iucunditas, ſufficientia ſcilicet eſt omnium commodorum, ſecundùm voluntatem, & ſine omni indigentia. Hęc ergo cùm illis hoc modo dicuntur, bona quidem & magna vt ſunt, eſſe videntur; ſed quia non intelligunt, quid in ipſa vita æterna habituri ſint, nec ſubitò quid ſit omnium commodorum ſecundùm voluntatem ſufficientia, & ſine omni indigentia, percipere poſſunt, hærent animo, nec multùm efficaci ad audita ſapore trahuntur. Quid ergo agendum, vt hæc illis aliquatenus ſapiant, & ſic ad opera bona euigilent? Puerorum more cibandos exiſtimo, qui ſi quando groſſum aliquod pomum edendum percipiunt, illud ob dentium teneritudinem, & oris anguſtiam, abſumere

nequeunt, ſi pro illorum capacitate primò non fuerit particulatim diuiſum. Itaque diuidamus in partes magna quæ diximus; vt inde poſſint ad vitam nutriri, de quibus agimus. Quæ vt meliùs eluceant, conſideremus quæ in hac vita mens amet humana, & ex his prout poſſumus, coniectemus ea multò excellentiùs eos habituros in vita futura, ſi quidem inter mundana tentationũ pericula conſtituti, Dominica fuerint præcepta ſecuti; atque cùm ipſa illic adepti fuerint, plenitudine deſiderij ſui ſe nequaquam fraudatos percipient. Hæc inquam faciamus, & à minimis paulatim progrediamur.

Ecce, vt primò quæ ad corpus attinent bona ſuccinctè enumeremus, iſta vt æſtimo ſunt, quæ propter ſe, & propter quæ, alia quæque ab hominibus appetuntur; *pulchritudo, ve-*

locitas, *fortitudo*, *libertas*, *ſanitas*, *voluptas*, *diuturnitas vitæ.* Si autem in his aliqua ſunt, quæ aliquando ſerui Dei non appetunt, ſed etiam magnopere in hac vita curare ſubterfugiunt, vt ſunt verbi gratia, pulchritudo corporis, atque voluptas, vtique non idcirco id faciunt, quod ea naturaliter nolint, ſed ne Deum in eis quoquomodo offendant. Nam ſi per ea nihil offenſionis in Deum cõtrahi poſſe certò ſentirent, vel ſe ab amore æternorum impediri non pertimeſcerent, profectò iucundiùs in ipſis, quàm in eorum contrariis ſeſe deducerent. His ita prælibatis, ſingula quæ propoſuimus, breui tractemus, & qualiter illis, poſt corporum noſtrorum reſurrectionem perfruemur, prout Dominus dederit, explicemus.

Itaque *Pulchritudo*, bonum quod-

dam eſt, & quod naturaliter à cun-
ctis haberi amatur. In illa igitur vita,
pulchritudo iuſtorum, ſolis pulchri-
tudini, qui ſeptempliciter quàm mo-
do ſit, ſpecioſior erit, adæquabitur;
quemadmodum diuina Scriptura
13. teſtatur, *fulgebunt*, inquiens, *iuſti ſi-
cut ſol, in conſpectu Dei.* Ad hæc, cor-
pus Dominicum claritati ſolis præ-
lucere, neſcio aliquem poſſe ambi-
gere. At ei ſimiles atteſtante Apo-
ſtolo erimus, qui dicit, *Reformabit*
3. *corpus humilitatis noſtræ, configuratum
corpori claritatis ſuæ.* Iſta fatetur au-
thoritas, cui contradicere ſcitur eſſe
nefas. Hæc tamen ſi quis velit ſibi ra-
tione probari, credo nulli debere in-
credibile videri; iuſtos pulchritudi-
nem ſolis, in illa vita, *vbi mortale hoc
abſorbebitur à vita*, ſortiri, cùm verè
r. 5. dicantur, & ſint, templum, & ſedes
Dei, quod nuſquam in diuina pagi-

na, de ſole iſto viſibili meminimus legi.

Velocitas, quæ pulchritudine non minùs amatur, tanta nos comitabitur, vt ipſis Angelis Dei æquè celeres ſimus, qui à cælo ad terras, & à terris in cælum dicto citiùs dilabuntur. Quæ celeritas, ſi vtrum ſit in Angelis, probare neceſſe eſſet; exempli gratia dici forſitam poſſet, hominem mortali adhuc carne grauatum, mox à Iudæa per Angelum in Chaldæam delatum, indéque tradito prandio quod deferebat, ſine mora relatum. Ergo cum iſtis omninò par velocitas illis erit, quibus ſicut præmiſſa eſt, illorum æqualitas inerit. Apoſtolus etiam, qui corpora noſtra quantacumque locorum intercapedine ſeparata membratim fuerint, ſiue diſperſa, *in ictu oculi*, aſſerit reſurrectura, ſatis innuit, quam ve-

Dan.

1. Cor.

locitatem eadem corpora iam incorruptibilia ſint habitura *Corruptibile* *Ibid.* *quippe hoc*, ſicut ipſe teſtatur, *incorruptionem*, *& mortale induet immortalitatem.* Huius quoque velocitatis exemplum in radio ſolis licet intueri, qui ſtatim orto ſole, in plaga oriẽtali, pertingit in vltimo plagæ occidentalis. Vt in eo perpendamus, non eſſe impoſſibile, quod de noſtra dicimus futura velocitate; Præſertim cùm rebus animatis ſoleat ineſſe maior velocitas, quàm inanimatis. Huic radio ſolis ſimile velocitatis exemplum habemus in nobis. Radius quippe oculorum noſtrorum, in ſubleuatione palpebrarum, cælum vſque pertingit, & in ictu earum, totus in ſemet, ac integer redit: Amplius. Conſtat quidem animas ſanctorum quæ iam cœleſtia tenent, nec dum plena felicitate frui, donec

incorruptibilitate corporum ſuorũ potiantur, quam cùm adeptæ fuerint, non erit quod amplius velint. Hæc itaque corpora, ſi eas à ſua velocitate aliquatenus tardiores, aut grauiores efficere deberent, nimirum potiùs eorum conſortium abhorrerent, quàm appeterent. Igitur ea quam dicimus velocitate perfungemur, cùm in vera vita fuerimus.

Poſt has, nominauimus *fortitudinem*, quam plerique, peroſâ imbecillitate, plurimùm amant. Præſtabunt igitur viribus, quicumque ſupernis meruerint ciuibus aſſociari, in tantum, vt nullatenus illis obſiſtere quicquam valeat, vel ſi mouendo, aut euertendo voluerint, quid à ſuo ſtatu quomodocumque diuertere, non illico cedat: Nec in eo quod dicimus, maiori conatu laborabunt, quàm nos modò in motu oculorum

noſtrorum. Ne quæſo excidat animo, quam adipiſcemur, Angelorum ſimilitudo; quatinus, ſi hîc, aut in his quæ dicturi ſumus, aliud exemplum non occurrerit, ipſa occurrat; atque in quibus Angelos valere conſtiterit, & nos æquè valere probet & afferat. Neminem autem qui dubitet exiſtere puto, Angelos ea qua fortitudine volunt, fungi. Sed fortaſſis quæret aliquis, quid nobis tunc illa fortitudo præſtet, cùm ſingulis tam conuenienter, vt conueniencius nequeant, vbique diſpoſitis, nihil mutandum, nihil euertendum, nihil ſtatuendum ſit, in quo vires ſuas quiuis exerceat. Qui hæc dicit, paucis nobiſcum, quid in huiuſmodi habeat vſus humanus, attendat; & videbit, quia non ſemper omnibus, quæ habemus, & quæ nos habere non parum gaudemus, actu

vtimur, ſicut verbi cauſa, viſu ipſo, poteſtate aliqua, ſcientia rerum nonnullarum, & multis in hunc modum; ſic & tunc, de qua agitur fortitudine erit. Sola namque poſſeſſio eius, grata nobis erit, & exultatio grandis, licèt nequaquam ſit nobis in actu, cunctis vt dictum eſt, in ſuo ſtatu locatis. Hæc eadem quæſtio, ſi aut de velocitate, aut de aliquo eorum quæ ob propoſiti operis intentionem dicturi ſumus, quemlibet mouet, eam quâ hîc ſoluta eſt ſolutionem, ſi aptiorem non habuerit, accipere valet.

Hinc, ſecundùm quod propoſuimus, ordine ſuo *libertas* ſequitur; quæ ſuperioribus non minùs diligitur. Quicumque igitur Angelorum fuerint ſimilitudinem aſſecuti, eorum quoque libertatem neceſſariò aſſequentur. Itaque ſicut Angelis

nihil obſiſtit, nec aliquid eos impedire, vel conſtringere poteſt, quin pro velle ſuo, cuncta liberrimè penetrent; ita non erit obſtaculum vllum, quod nos retardet; non clauſura quæ nos detineat; non elementum, quod nobis ad velle, peruium omninò non extet. Exempli cauſa; Certè Dominicum corpus, cui corpora noſtra configuranda Paulus teſtatur, vt ſuprà meminimus, clauſo ſepulchro, à mortuis ſurrexit, ac demum ad diſcipulos obſeratis ianuis, palpandum introiit, nobiſque in hoc libertatis futuræ documentum grande reliquit.

Supra hæc *ſanitatem* amari ab hominibus, diximus; Et de hac quid melius dici poterit, quàm quod Pſalmiſta canit, *ſalus*, inquiens, *iuſtorum à Domino.* Quibus autem fuerit à
Pſalm. 36.
Domino vera ſanitas, quæ ſubrepere

valebit infirmitas? Verùm de iſta ſanitate quam in ſæculo futuro habebimus; quod exemplum afferre queam, vt quæ ſit intelligatur, non video. Quia nihil ſanitatis, quod ei cõparare poſſim, aut ego in me, aut aliquis ſub mortali carne degens, ſenſit in ſe. Hîc etenim tunc nobis ſani videmur, cùm nihil in nobis, quod doleat ſentimus. Fallimur tamen nonnunquam in hoc. Nam frequenter, in aliqua parte corporis infirmamur, nec tamen hoc ipſum, niſi aut motu corporis, aut tactu aliquo, vllo pacto experimur. At de iis, qui nec ita infirmantur, ſed omni ex parte ſibi ſani eſſe videntur, quid dicemus, vt, vtrum ſint, vel non ſint ſani, probemus? Propone tibi quemlibet ſaniſſimum corpore, & de ſanitate illius ſciſcitare. Sanus eſt ſuo iudicio. Hic talis paulò duriùs tan-

gatur, aut in aliqua corporis ſui par-
te arctiùs conſtringatur; & ſtatim vi-
debis, quia clamabit, Sine, lædis me,
vexas me. Quid eſt hoc? nónne priùs
ſanum ſe eſſe dicebat: & nunc mo-
dicè tactus, ita dolenter ſucclamat?
Iſténe tibi ſanus videtur? Non pu-
to. Nequaquam ergo ſalus eiuſmodi
nobis dabitur, quorum ſalus à Do-
mino futura eſſe ſpecialiter repro-
mittitur. *Nam abſterget Deus omnem*
7. *lacrymam ab oculis ſuorum, & iam*
non erit amplius neque luctus, neque cla-
mor, neque vllus dolor, quoniam priora
tranſierunt, & non eſurient neque ſitient
ampliùs, nec cadet ſuper illos ſol, neque
vllus æſtus. Dextera enim ſua Deus te-
get eos, & brachio ſancto ſuo defendet
illos. Quid itaque eis nocere valebit,
quibus dextra Dei, tegumétum erit?
Qualis autem ſit ſanitas illa, certè
ſcio me, nec meo, nec alicuius ſenſu,
vel

vel experimento accepiſſe. Febrium verò, & diuerſarum infirmitatum qualitates, ſi cuiuſmodi ſint, quiuis interrogaret, facilè forſan intelligendas exponerem. Tum quia, ego illas in me, tum quia ab eis accepi, qui eas quæ ſint experimento didicerunt in ſe. At quod, nec ſenſu percepi, nec ab vllo, qui perceperit, vt dixi, accepi, non eodem modo. Credere tamen & incunctanter, vt mea quidem fert opinio, aſtruere licet, ſanitatem futuræ vitæ ita iugem & incommutabilem ac inuiolabilem fore, vt ineffabili quadam atque ſenſibili ſuauitatis dulcedine totum hominem repleat, & omnem quod alicuius in ſe viciſſitudinis, mutabilitatis, aut læſionis ſuſpicionem prætendere queat, procul arceat, atque repellat. Hæc de *ſanitate* dicta ſint.

Hinceo ordine, quo ſingula, de quibus inſtituimus tractare, propoſuimus, *voluptatem* ſubiunximus, quam alio nomine, corporeorũ ſenſuum delectationem appellamus. Et hęc quidem magnopere ſolet amari, quia ſinguli corporis ſenſus in iis, quæ ſibi commoda iudicant, delectantur. Delectantur quippè, vt verbi gratia paucis dicatur, odoratus, odoribus variis; & guſtus, rerum diuerſarum ſaporibus diuerſis; nec non ſinguli alij ſenſus, his & illis, iuxta quod cuique fert naturalis appetitus. Iſtæ tamen delectationes, non ſemper delectant; ſed ſuis quoque amatoribus, ſui nonnunquã tædium ingerunt. Tranſitoriæ namque ſunt, & beſtiales. Illæ verò, quę in futuro ſæculo, plenè iuſtis adminiſtrabuntur, perpetes ſunt, & rationabiles. Quare non video, vt

qualiter intelligantur, poſſit edici. Præſertim, cùm in delectationibus vitæ præſentis, quo eas deſignemus exemplo, nequeat inueniri. Delectationibus etenim illis, quò magis quiſque vtetur, eò feruentiùs illas amplectetur, quia ex earum ſaturitate nullum faſtidium vlli creatur. Quas delectationes, neminem in hac mortalitate viuentem eſſe puto, vel fuiſſe, qui ſenſerit, vel guſtauerit, vt illarum ſaporem vel habitudinem cæteris digerere poſſit. Duas enim beatitudines, & item miſerias duas, maiorem videlicet, atque minorem, eſſe nouimus. Maiorem Beatitudinem, regnum Dei; minorem, dicimus eſſe, in quo Adam primò poſitus fuerat gaudium paradiſi. Item maiorem miſeriam, æternum ignem gehennæ; minorem fatemur, quas inceſſanter patimur ærumnas præ-

ſentis vitæ. Beatitudinem autem neutram aliquando experti ſumus. Quòd ſi ſaltem illam paruam beatitudinem, quam Adam in paradiſo poſitus habuit, experti eſſemus, fortè per hanc, illam maiorem aliquo modo coniectando videre poſſemus. Sicut nunc, in minori miſeria nati, nutriti, & adulti, multa de maiori miſeria, quoties volumus, edicere, & explanare valemus. Itaque, cùm delectatio, qua de agimus, conſtet eſſe vna portio magnæ Beatitudinis, quo illam modo explicemus, vt capiatur, non video. Niſi fortè, id agamus aliquâ contrariâ ſimilitudine magnæ miſeriæ, quam ex minori coniectamus. Sit igitur ante oculos cordis poſitus, exempli causâ, homo aliquis, qui tam in ipſis oculorum ſuorum pupillis, quàm & in ſingulis membris, ferrum igni-

tum & candens infixum habeat; itáque, vt nec medullæ, nec inteſtina, nec omnino quicquam, in toto ipſo, cruciatus illius immanitate vacet, vel etiam leuiùs, quàm in oculis aliquatenus ſentiat. Quid dicam? anguſtiatur? Quis hunc æſtimet ſanæ mentis inter iſta? Eodem modo, ſed penitus contrariâ conſideratione, in illa futura vita, ineffabilis delectatio quædam bonos inebriabit, & dulcedine ſui totos eos inæſtimabili exundantia ſatiabit. Quid dixi totos? oculi, nares, aures, os, manus, pedes, guttur, cor, iecur, pulmo, oſſa, medullæ, exta etiam ipſa, & cuncta ſingulatim, ſinguláque membra eorum, in commune, tam mirabili delectationis & dulcedinis ſenſu complebuntur, vt verè totus homo *torrente voluptatis Dei potetur, & ab* Pſal. 35 *vbertate domus eius inebrietur.* Qui er-

go hæc bona fuerit adeptus non intelligo, ad quid pro commodo corporis, ſuus vlteriùs porrigatur affectus.

Solummodo adſit ei quam cunctos appetere diximus *diuturnitas vitæ.* Sed iſta, illi minimè deerit, quia,
5. *iuſti in perpetuum viuent*, ſicut Scriptura dicit.

Sunt etiam alia, quæ quidem iis quæ digeſſimus, non minùs amantur, ſed ad animam, ſicut illa ad corpus, referuntur. Quæ nihilominus in ſeptenario numero conſtituta, non modicum placent menti, quæ ipſorum fuerit ſapore imbuta. Sunt autem hæc, *ſapientia, amicitia, concordia, poteſtas, honor, ſecuritas, gaudium.*

Sapientia igitur, quam omnes, etiam in hac vita, non viliter amant, tanta in futura vita, bonis erit, vt eo-

rum, quæ ſcire voluerint, nihil ſit quod ignorent. Scient enim cuncta, quæ ſcienda fecit Deus, tam ea quæ præterita, quàm quæ huius ſæculi ſunt futura. Ibi à ſingulis, omnes; ibi ab omnibus, ſinguli cognoſcentur: nec quemquam omninò latebit, quâ patriâ, quâ gente, quâ ſtirpe, quis editus fuerit, vel quid in vita fecerit. Hîc fortaſſis ait aliquis, Quid eſt hoc? peccata quæ feci, ſciẽt omnes? Ad hoc ea confeſſus ſum, vt delerentur, vt obliuiſcerentur, vt nulli amplius panderentur. Bene. Sed cùm tu in illa gloria ab omni criminum ſorde purgatus, vultui Dei præſens aſtiteris, ingratúſne ei eſſe poteris, pro tanta miſericordia, quam tibi fecit, remiſſis illis & illis delictis tuis? Et vnde gratias ages, ſi nihil eorum, vnde illas iure debeas, in tua memoria habes? Vt igitur in

illius laudibus æternaliter iucunderis, ſemper de quanta ſis miſeria erutus, vt puto, coràm habebis. Cùm ergo ſingulorum conſcientiæ ſingulis pateant, fateri audeo, ea quoque cunctis patére, pro quorum curatione, tu Deo iugiter gratioſus exiſtes; non ad tuam confuſionem, ſed ad magnam Dei glorificationem, tuámque congratulationem. Nec enim tunc pro peccatis tuis te maior cordis anguſtia premet, ſcelerúmve tuorum mage pudebit, quàm aliquem magnis olim vulneribus ſaucium, iámque omni ex parte ſanatum, aboliti languoris moleſtia premit, vel eorum quæ in cunis poſitus infans egerat, nunc grandæuum pudet. Tunc quippe, cùm integra ſanitas, perfecta mundicia, plena remiſſio, ſecura omnium offenſionum impunitas, tibi certò ar-

riſerit, cognitio eorum quî magis horrori tibi eſſe valebit, quàm eſt modò beatiſſimo Apoſtolorũ Principi Petro, qua Chriſtum negauit abiuratio ſua? Beato Paulo, qua Chriſtum perſecutus eſt immanitas ſua? Beatæ Mariæ Magdalenæ peccata ſua? & multis aliis, multa quæ ſciuntur iam donata crimina ſua? Verùm ſuper hæc, agnitis delictis, velut enormi ac fœdâ infirmitate tua, pietas, virtus ac ſapientia medici, qui te ſanauit, ſublimiùs à cunctis admirabitur, laudabitur, magnificabitur. Laus autem & magnificentia gloriæ Dei, tua, ſi bene aduertis, gloria eſt. Sed dices; Et quidem conſentio laudem Dei, gloriam eſſe meam; verùm, cùm hinc inde, tot & tot ad mei comparationem innocentes prodeant, qui conſideratis vitæ meæ obſcœnitatibus, me

omninò, ſicut æquum erit, horrori habendum iudicent, quid dicam? Iuſtitia nempe ſuum, & ſuum iniuſtitia præmium exigit. In his frater, nolo timeas. Aliter erit quàm exiſtimas. Illum ſi quidem, quem tu tibi comparatum iudicas, penitus innocentem, non ibi reperies de te quemadmodum æſtimas, ſentientem. Namque videns te ille quo de agis, planè intelliget, te, nequaquam ſe, ſed Deum, quando peccaſti, offendiſſe. Cùm ergo viderit Deum tua tibi debita funditus dimiſiſſe, nec in cor ſibi aſcendet vt te inde aliquatenus iudicet. In hoc enim ipſo, Deum ſe offendere cognoſceret, ſi te Deo per omnia reconciliatum, pro iis quæ olim feceras, vllatenus cõtemnendum cogitaret. Magis autem gratioſus admirabitur ineffabilem Dei clementiam, non ſo-

tùm in te, ſed & in ſe; In te, quia de tam profundo iniquitatis eripuit te; in ſe, quia ſolâ gratiâ eius, ne in idem rueret, tenuit ſe. Laudando igitur, magnificabit in te, poſt gratiam Dei, vim atque conſtantiam, quibus enitens, voraginem tanti mali viriliter euaſiſti; quam, iuxta quod ipſe conſiderabit, ſi derelictus à Deo ſimili modo incurriſſet; non ita forſitan euaſiſſet. Vides igitur, quàm nil improperij vulgata cognitio peccati tui, immo quàm multùm laudis & gratiarum, cognita remiſſio ſui generabit. Ipſi etiam Angeli, ſi te ſocietate ſui propter peccata tua indignum vellent iudicare, haberes qualiter contra eos iure te poſſes defenſare. Quónam modo, inquis? audi. Propone Angelum aliquem, quaſi talia tibi improperantem: Tu homo de puluere factus, tu

puluis quandoque futurus, contra Deum te extuliſti, contra præcepta eius, te in cœnum omnis peccati & immunditiæ tumidus deieciſti; & nunc noſtri ſimilis eſſe quæris, quos nunquam in aliquo voluntati Dei contraiiſſe cernis? Ad hæc licet, ita reſpondeas. Si ego, vt dicis, de puluere factus ſum, fortè non mirum, ſi vento tentationis impulſus, in ſordes ſum criminum lapſus; verùm agnitâ & creditâ miſericordiâ Chriſti, ſpretis omnibus, quæ illum nolle ſcire potui, in cunctis quæ illum velle intelligebam, mémet exercui. Vnde tribulationes & anguſtias, in fame, ſiti, vigiliis, verberibus, contumeliis, aliiſque modis innumeris, ad honorem eius, ſuſtinere non dubitaui; & quæque mundana, pro viribus nihili pendens, eius tantùm ſolius gratiæ, per ſingula reconcilia-

ri deſideraui. Vos autem, quid horum vnquam ſui cauſſa ſuſtinuiſtis? Semper vos gloria, ſemper iucunditas eſt comitata; ſemper vos tenuit dextera Dei, atque defendit ab impugnatione omnis peccati, ita vt nulla vobis ſubriperet macula eius. Itaque, ſi à voluntate illius non cecidiſtis, ipſius donum eſt, à quo iugiter tenti iſtis. Sed quia hæc ratio illos tantummodo reſpicit, qui perditioni ſuæ vim fecerunt, & regnum cælorum violenter rapuerunt, alij, qui in illud ſunt, ſed alio modo, intraturi, alia ratione paritatem Angelorum ſibi ſunt vindicaturi. Si quæris, quâ? forſitan iſta. Dicent igitur illis: Quod in regno Dei veſtra quærimus æqualitate beari, dono & gratiæ Chriſti Ieſu Domini noſtri id aſcribimus, qui ad hoc dignatus eſt homo fieri, & pati, & mo-

ri, vt nos ab omni delicto in ſangui-
ne ſuo iuſtificatos, ipſius regni ſui
conſortes efficeret. Vos igitur con-
ſiderate, an ſanguis Chriſti, qui eſt
pro nobis effuſus, queat nobis eſſe
perfecta cauſa ſalutis. Quid ad hæc
Angeli, qui libenter eo quod boni
ſunt, rationi acquieſcere volunt, di-
cerent; niſi, quæ dicta ſunt, ratione
niti, & huiuſmodi homines, iure,
ſua æqualitate debere potiri? Cùm
itaque Angeli atque homines, quos
magis te iudicaueras innocentes, ti-
bi conſentiant, tibi in cunctis pro
veritate rationis, honorem deferant,
perpende ſi vales quàm grata ſit ſa-
pientia iſta, quâ te ſic ab omnibus,
ſic omnes à te cognoſcentur in vita
illa?

Nónne conſequenter ex iſta, quæ
cunctis erit communis ſapientia,
quædam inæſtimabilis *amicitia* pro-

creabitur? Quæ in tantum, ſingulorum intima, erga ſingulos, ſuo feruore compleat, vt amor cuiuſque in quémque cuíque ſufficiat. Nec enim video quomodo aliter eſſe poſſit, præſertim cùm omnes vnum corpus Chriſti ſint, & Chriſtus qui eſt ipſa pax, ſit omnium caput; nec minori ſeſe affectu complectantur, quàm membra vnius corporis ſibi inuicem copulantur. Amabis igitur omnes, vt ipſum te, & amaberis ab omnibus, vt ipſi à ſe. Putas, abundans eris in dilectione, quando hæc tibi fuerit in poſſeſſione? Attamen iſtam tranſi, & contemplare ipſum, per quem hæc bona tibi prouenére; & percipies, quia ille, pluſquam tu te ipſum, & quàm omnes alij, incomparabiliter amabit te; & tu, ſuper te ipſum, & ſuper omnes alios, ineffabili quadam ſuauitate, illum amabis.

Sed quoniam ſolet aliquando contingere inter homines, vt ij, qui ſeſe altrinſecus vnanimiter amant, non in omnibus vbique concordent, dum huic ſecus ac illi videtur, & quod hic appetit, ille fugit, neceſſariò præſcripto amori addenda *concordia* eſt; ne ſi vllatenus vel in puncto defuerit, aliqua læſio tanto bono ſubrepere poſſit. Erit itaque tanta in cunctis concordia, vt in nulla re, ſentias aliquem diſcrepare ab eo, quod te conſtiterit velle. Corpus vnum erimus; Eccleſia vna erimus; ſponſa Chriſti erimus, quicumque ibi erimus: non ergo maior tunc inter nos diſcordia erit, quàm nunc eſt inter membra vnius corporis. Verùm ſicut vides in motu oculorum, quòd illuc quò vnus vertitur, mox alius ſequitur; ita quocumque tuum velle conuerteris, velle omnium

nium ſine diſceptatione illico tibi præſto habebis. Quid dixi omnium? Ipſa Dei voluntas non erit à tua diuerſa; ſed ſicut tu, quod ille; ita & ille volet in cunctis, quod tu. Caput namque à ſuo corpore, quî diſcreparet? Hîc aliquis forſan in ſui cordis ſecreto, quærit, dicens: Eia, ſi Deus & omnis beatorum cœtus volent quod ego, tunc & augmentum mei boni mecum volent, quod ego ibi non velle non potero. Ero itaque pro velle meo, de maioribus in cælo. Huic reſpondeo; quia ſi etiam Beato Petro par in gloria eſſe voluerit, erit. In gloria dico; quia vt Petrus ſit in perſona, velle non poterit. Nam ſi hoc vellet, ſeipſum nihil eſſe vellet, quod velle nequit; Sed nec in gloria illi æquari, ſi meritis eius impar eſt, velle poterit; quia pulcherrimam eius corporis compoſitio-

nem, quam in hoc violari conſpiceret, omni commodo plus amabit. Nec enim in humano corpore, vel pes, loco aut officio manus; vel manus, pedis fungi optat; aut os ſiue naſus vbi oculi ſunt, aut oculi vbi os, ſeu naſus eſt, relictis ſedibus ſuis, transferri deſiderant, aut ſi transferrentur, patienter id paterentur. Eodem modo, in illa admirabili & glorificata diſpoſitione Beatæ Ciuitatis Dei, ita quiſque quod habet, amabit, vt ſtatum ſuum potiori gradu mutari non velit. Quare? Quia cuique ſatius erit ſua felicitas, & beatitudo. Ampliùs. Si ij qui iam in ipſius corporis vnitate locati ſunt, maiora quàm ſunt adepti deſiderarent, eo ipſo miſeri eſſent, quo nondum haberent, quod vellent. In quo enim alicui quod cupit deeſt, in eo miſer ſit, neceſſe eſt. Sed abſit

ab illo regno omnis miſeria. Aderit itaque omnibus omnis ſufficientia, quam perficiet in ſingulis vnanimis & plena concordia. Cùm itaque Deum & omnes tuæ voluntati concordes habùeris, profectò nihil voles, quod non poſſis. Omnipotens igitur eris tuæ voluntatis; quoniam ipſum Omnipotentem, habebis in omnibus concordantem tuæ voluntati.

Itaque cùm hæc tanta poteſtas affuerit; *honor* condecens poteſtati minimè deerit; qui honor cuiuſmodi ſit, breui ſub exemplo conſideremus. Ecce ſit ante oculos noſtros poſitus pauper aliquis, omni ſolatio deſtitutus, vlcerum & aliarum infirmitatum fœditate corruptus, & omni, quo vel à frigoris incommoditate defendatur, tegmine nudus. Hunc igitur talem tali mo-

do iacentem, & in nullo ſémet iuuare valentem, ſi Rex aliquis potentiſſimus tranſiens, videret, & miſeratus, eius vulneribus mederi, curatúmque ſuis iuberet ornamentis veſtiri, & adductum ſibi adoptaret in filium, præciperétque vt in regno ſuo ſuus filius à cunctis haberetur, atque in nullo quod iuberet, à quoquam ei contradiceretur, hæredémque ſuum ac filij ſui cohæredem conſtitueret, & eum ſuo nomine vocari præciperet; nónne diceres magnificè honoratum? Et certè Deus hæc nobis omnia faciet. Nati enim de putredine carnis, replemur multis miſeriis; in quibus miſeriis conſtitutos, & omni ſolatio deſtitutos, omniúmque infirmitatum paſſionibus obnoxios, ac peccatorum & corruptibilitatis vlceribus plenos, ſola miſericordia ductus accipiet,

&curabit nos, & ſanitati reſtitutos, ornamentis perfectæ iuſtitiæ, & incorruptibilitatis ornabit, adductóſque in filios ſibi adoptabit, regni ſui conſortes efficiet, & hæredes, filióque ſuo vnigenito ſibi per omnia æquali, & coomnipotenti, concorporales ſtatuet, & cohæredes, omnique creaturæ iubebit, vt in omni quod volemus, nobis obediat, vocatóſque nos nomine ſuo, Deos faciet. Dicit enim ipſe, *Ego dixi, dÿ eſtis, & filÿ excelſi omnes.* Sed ipſe, Deus deificans eſt; tu verò, Deus eris deificatus. At fortaſſis ais; Hæc ratio tua, in illis quidem magnis Apoſtolis ſeu martyribus poterit exiſtere rata; in me autem, qui vtinam, vel vltimus eſſe merear, quónam pacto conſtare queat, non intelligo. Intende, & intellige, quia nullum ab iſta deitate excepit Deus, vbi di-

81. xit, *Dij eſtis, & filij excelſi omnes.* Verùm, vt dicta meliùs eluceant, conſidera ſub exemplo, naturam ignis, & naturam rerum ignitarum, ſi fortè ibi aliquatenus queas imaginari, qualiter illi ſummæ deitati, pro modulo tuo, poſſis participando deificari. Ecce ignis vnus eſt, & in ſua natura calidus: in hunc ignem, pone lignum aliquod, plumbum, & ferrum ſimul. Itaque cùm lignum fuerit in carbones conuerſum, & plumbum liquefactum, ita vt in carbonibus, nihil niſi ignis appareat, & plumbo nihil caloris addi queat; necdum tamen ferro poterunt in calore coæquari, quod nondum forſan penitus incanduit igni. Licet igitur aliud alio magis in calore profecerit, ſingulum tamen ſeruatâ naturâ ſui, vſitato locutionis modo, quia ignitum eſt, per ſe ignis dicitur.

Sic erit in illa beata ſupernorum ciuium ſocietate, de qua loquimur. Nam quemadmodum ij, qui ſummæ Dei maieſtati ſunt propinquiores, & ob hoc, aliis præſtantiores, Dij dicentur; ita & qui illis ſunt inferiores; quoniam vnâ & eâdem, quâ ipſi, deitate, pro ſua capacitate, participãt, ſimili nomine Dij dicentur. Quando ergo cum tanto bono adeptus fueris hunc honorem, non video qua ratione poſſis cupere ampliorem. Igitur dum poſſeſſione horum bonorum, quæ digeſſimus, felix fueris, nónne ſufficiens tibi videberis? Et maximè inquis. Agè igitur, ſi omnibus iſtis vel vna die, ſicut expoſita ſunt, in re frui valeres, gauderes? ſine dubio. Si autem menſe, vel anno vno, lætificareris? Nec dici quidem vt autumo poteſt lætitiæ modus. Et ſi toto tempore vitæ tuæ,

quid faceres? quod dares pretium? vtique libens quicquid haberes. Et inſuper temet ipſum, ſi ſic, & non aliter, ea adipiſci valeres.

Si verò ad hæc, omninò ſecurus exiſteres, quòd ea dum viueres, nullo euentu amitteres, omitto dicere vtrum vel cogitare poſſis, an non, quid exultationis tibi eſſet. Itaque cùm tua vita perpetuò duret in illa vita, & hæc omnia tibi habenti, *ſecuritas* quoque ea ampliùs non perdendi certò arriſerit, obſecro quid exiſtimas tibi erit? Credo etiam, quod ad nomen ſecuritatis, mota eſt in te quædam iubilatio cordis, & an tanta bona ſecurè ſis perpetuò poſſeſſurus auidus addiſcere cupis. Dico igitur, quia ſi ea perditurus es, aut tu ipſe voles ea perdere tua ſponte, aut Deus ea tibi auferet nolenti, aut aliquis alius Deo fortior ſuper-

uenieus ea tollet, Deo & te non volente. Sed certè, nec tu, abiecto tanto bono, in miſerias quas te euaſiſſe gratioſus exultabis, recidere voles: nec Deus, qui illud tam larga & clementi bonitate donauit, id tibi aliquando auferre volet; nec vllus fortior Deo ſuperueniet, qui Deo te protegente, illud tibi inuito, aliquatenus tollet. Securus igitur tantorum bonorum perpetuò eris, nec alicuius tibi aduerſari volentis incurſum timebis.

Quid ergo putas tibi erit, cùm hæc omnia, pulchritudinem videlicet, velocitatem, fortitudinem, libertatem, ſanitatem, voluptatem diuturnitatem vitæ, ſapientiam, amicitiam, concordiam, poteſtatem, honorem, ſecuritatem, ſecundùm quod ea deſcripſimus, immo ſupra omnem humanam æſtimationem

glorioſiùs, atque ſublimiùs quàm ſcribi vel dici poſſint, in poſſeſſione æternaliter habueris? nónne gaudium, quod erit conſummatio omnium horum? Re etenim vera, videre non poſſum, quomodo inæſtimabile gaudium circumquáque non habeat, quem tot commoda beatæ felicitatis felicíſque beatitudinis ſine fine circumdant. Tunc igitur, & tu iſto gaudio perfruêris, quia nihil vnde gaudere non debeas habebis. Itaque ſi haberes aliquem, quem vt teipſum penitus amares, & de cuius bono ſicut de tuo, omninò gauderes, illúmque non minori quàm te felicitate, per omnia fultum videres, nónne in gaudio eius, gaudium haberes? Si verò duos aut tres, ſiue plures, huic tibi in amore pares, poſſideres, & eos æqua felicitate conſpicuos cerneres, nunquid pro eo-

rum numero, non in te multiplicaretur gaudij tui magnitudo? Et vtique cùm de amicitia ſuperiùs ageremus, oſtendimus ita omnes illius patriæ ciues amaturos te, ſicut amabunt ſe, & te illos ſicut tu teipſum. Potéſtne igitur illius gaudij modus à quoquam homine penetrari, cùm vltra mille millia, & decies millies centena millia, innumerabiles ibi ſint, & omnes eadem beatitudine perfruantur, nec vllus eorum ſit, qui non tantum de bono alterius gaudeat, quantum de ſuo? præterea videntes Deum ipſum, ſuprà quàm ipſi ſeſe amabunt, ipſos amantem, & intelligentes ſe inenarrabiliter pluſquam ſemetipſos illum amantes, in gloria eius, mira & ineffabili exultatione exultabunt. Gaudium ergo erit iis intùs, & extrà; gaudium ſurſum atque deorſum; gaudium

in circuitu, & vbique.

Et hoc eſt, ſicut putamus, quod, quemadmodum in capite huius opuſculi dixi, Deus præparauit diligentibus ſe. Hæc itaque, iuxta quod, interim mea mihi æſtimatio dicit, quodammodo poteſt dici illa beatitudo æterna, felicitas æterna, commodorum ſcilicet omnium ſufficiētia, ſecundùm voluntatem, & ſine omni indigentia, quam plenè habebunt omnes amici Dei in vita ęterna. Nec enim volumus affirmare, illam hac quam digeſſimus, multò maiorē non eſſe. Cùm igitur iuſti fuerint tanta felicitate beati, reſtat vt iniuſti per contrarium ſint inæſtimabili quâdam infelicitate miſeri. Sicut enim iſtos, iuxta quod, prout potuimus, Deo donante, deſcripſimus, mira pulchritudo, velocitas, fortitudo, libertas, ſanitas, voluptas, ala-

cres faciet, & iubilantes; ita illos immanis quædam & inæſtimabilis fœditas, tarditas, imbecillitas, ſeruitus, languor atque dolor, mœrentes reddet, & eiulantes. Sanè diuturnitatem vitæ, quam iſti perfruendis tantis bonis ſummo amore complectentur, illi pro interminabili pœna qua torquebuntur, quoniam illis inerit, ſummo odio execrabuntur. De ſapientia verò, quid dicam, non inuenio; niſi quia, ſicut iuſtis in gaudium, & honorem; ita iniuſtis, quicquid ſcient, vertetur in mœrorem & confuſionem. Amicitia autem, quâ in inuicem pij ſummâ iucunditate copulabuntur; ſi qua in impiis erit, in tormentum eis erit. Quò enim magis quoſque amabunt, eò grauiùs in illorum pœna dolebunt. Si contra concordiam, quid habituri ſint quæritur; diſcordiam habebũt cum

omni creatura; & omnis creatura diſcordabit ab illis. Hinc ergo, pro poteſtate bonorum, tanta impotentia eos ſequetur, vt omninò nihil eorum quæ voluerint, poſſint; & quicquid habuerint, nolint. Igitur pro honore Sanctorum, obtinebunt perenne opprobrium; Et hæc, quo fine claudentur? verè ſicut amici Dei, ſecuri erunt ſe nunquam amiſſuros bona ſua; ita iſti inimici Dei, omninò deſperabunt ſe iam amplius perdituros hæc mala ſua. Pro æterno igitur, & ineffabili gaudio beatorum, hæreditabunt æternam & incogitabilem triſtitiam omnes, qui pro impœnitudine reatus ſui, tranſituri ſunt in ſocietatem dæmoniorum.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google